



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und  
Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten**

**Calino, Cesare**

**Augspurg ; Graez, 1744**

**VD18 80280064**

Dominica XVIII. Post Pentecosten.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](#)

4.

*Diliges proximum tuum sicut te ipsum.**Matth. 22.*

Sublime est hoc præceptum de dilectione proximi, & simile illi de diligendo Deo. Multa in se includit alia, nimirum ut nos etiam ipsos diligamus, sicut alios. Disquirendum ergo est, quomodo proximum diligere teneamur sicut nos ipsos, minus quam nos, & plus quam nos. *Mense VIII. Disc. 216. pag. 37.*

5.

*Magister, quod est mandatum magnum in lege? Matth. 22.*

Doctorem hunc curiositas adegit, ut adiret JESUM, & de præcepto omnibus notissimo interrogaret, cupiens audire novum responsum, quod occasionem præberet disputationi suæque sapientiæ ostendandæ. Eadem curiositate ducti etiam alii visitabant JESUM; verum hic ita omnibus respondit, ut inutilem ostenderet omnium curiositatem. *Mense X. Disc. 292. pag. 322.*

## DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

I.

*Surge, tolle lectum suum. Matth. 9.**R. P. Calini, S. J. Index. I Non*

Non jubet Dominus, ut alii currant & jacentem paralyticum in pedes erigant, aut in tollendo lecto adjuvent: sed vult, ut ipse laborem conatūmque adhibeat. Liberari vis à diuturno animi morbo? à consuetudine? non refuge difficultatem, sed alacriter ad eam superandam te accinge. *Mense I. Disc. 25. pag. 404. usque ad num. II.*

2.

*Vade in domum tuam. Matth. 9.*

Statutum est: *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Jussit Christus paralyticum surgere: Et surrexit, & abiit in domum suam sine mora, sine impedimento. Ibimus & nos, quamprimum Deus ad æternitatem vocaverit, & quidem celeriter; prope enim est cuique sua æternitas: qualem ergo tibi æternitatis tuæ domum feceris, talem adibis. Elige, qualem tunc velis, & nunc fabricare incipe, quæ placeat. *Mense III. Disc. 63. pag. 42. a num. 7. ad finem.*

3.

*Dixerunt intra se: hic blasphemat.*  
*Matth. 9.*

Crimen gravissimum impingunt Christo, cuius sanctissimam doctrinam audierant, divina miracula viderant: *Nemo, inquiunt, potest peccata dimittere, nisi solus Deus.* Ita dum illum blasphemiarum arguunt, ipsi gravissime blasphemant. Ut horrendum blasphemiarum peccatum magis

CONCIONATORIUS. 163

magis detestemur, consideremus ejusdem incredibilem malitiam. *Mense II. Disc. 44. pag. 213. usque ad num. 5.*

4.  
*Dixerunt intra se : hic blasphemat.*  
*Matth. 9.*

Non est peccatum ferè aliud, quòd hominibus majorem injiciat horrorem, quàm blasphemia: atque ideo legibus etiam humanis graviores in peccatum illud poenæ statutæ sunt. Verumtamen utut horribile sit, maxima tamen scandala parit; ac propterea etiam gravissimè à Deo puniri solet. *Mense II. Disc. 44. pag. 222. à num. 5. ad finem.*

5.  
*Dixerunt intra se : hic blasphemat.*  
*Matth. 9.*

Hæc est malorum indoles, ut bona vertant in malum, cùm bonorum mos sit, ut mala etiam interpretentur bene: sicut aviculæ, quæ araneis, muscis, corticibus arborum vescuntur, omnia in optimam carnem concoquunt; milvi verò, qui gallinis, avibusque vescuntur, pessimas contrà carnes habent. Ex quo cognoscamus invidiæ & sinistri judicii malitiam, dum videmus Judæos Christi verba & miracula in peccatum interpretantes. *Mense X. Disc. 297. pag. 422.*